

Day. 22-489 Dr

21114

38.

THESES  
PHILOSOPHICAE


PER TRIENNIMUM  
IN SCHOLIS EXAGITATAE:

*QUAS DEFENDEBAT*  
**IOACHIMUS GOICOECHEA**  
REG. SEMIN. BILBILIT. ALUMN.

*PATRONO*  
**FRANCISCO LLOSES S. I.**  
PHIL. PROF.

Bilbili: in Theatro Maximo Scholarum Soc. Ies.

Die Maii. Anno M.DCC.LXIV.



BILBILI:

Typis IOACHIMI ESTEVANII.  
PRAESIDUM FACULTATE.

THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES  
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

IESU. CHRISTO. DE. LEZO.

QUEM. NOMINANT.

QUEMQUE. PERAMANTER. AC. PIE. COLUNT.

PULCHRAM. PROPE. URBEM. S. SEBASTIANI.

POPULARES. SUI.

MAGNIS. AB. EO. ACCEPTIS. BENEFICIIS.

VEL. IN. IPSO. VITAE. LIMINE.

NAM. SI. VIDET. SI. INTEGRIS. EST. MEMBRIS.

SI. VALET. SI. VIVIT. ETIAM.

TOTUM. AB. ILLO. CERTE. HABET.

MEMORIA. ERGO. ISTORUM. MUNERUM.

ET. GRATIO. ANIMO. EXCITATUS.

I P S I.

QUOD. IURE. SUO. VIDETUR. EXIGERE.

SE. SUASQUE. THESES. PHILOSOPHICAS.

OFFERT. ET. DEDICAT.

IOACHIMUS. GOICOECHEA.

REG. SEMIN. BILBILIT. ALVMN.

IESU CHRISTO DE IESO.

CHAMONI LERAMANTU AC FIR COUNTR.

DISCHINWYBROK. CHINW. E. SIRWSTAN

HOPFIAFAS. SUT.

WADINS. V. 50. VOCABULIS. BENELLIUS.

ALL IN IESO. ALIVE. LUMINE

MINT. V. 10. VIDE. T. H. M. M. M. R. O.

SI. V. V. T. SI. V. V. T. E. T. A. M.

JOTUM. V. R. H. T. O. C. R. T. E. H. A. F. T.

MEMOR. X. 5. R. D. R. D. R. M. M. M. M. M.

EL. C. R. V. O. V. N. M. O. E. C. L. I. T. L. S.

1621.

GOOD. H. R. E. 20. ADETER. EXICER.

SE. S. V. S. O. A. R. T. H. R. E. S. M. H. I. O. P. H. I. C. V.

OFFERT. EL. DEDICAT.

JOTCHIMUS. G. O. I. C. O. C. H. E. Y.

ME. S. M. M.

¶

EX LOGICIS.

I.

Ogica est: *Facultas recte differendi.* Partim est Virtus mentis, partim non est: siquidem plerumque definitur Virtus mentis: *Habitus inclinans sine fallacia in verum.* Ars est: *Collectio multarum comprehensionum ad finem aliquem utili vitæ.* Quamobrem Logicam Artem facimus: scientiam quoque non quocumque in sensu, neque totam Logicam, sed eam tantum partem, in qua sit notitia & certa, & evidens per demonstrationem comparata. Logica habet plures actus praticos. Habita autem ratione finis tota Logica practica est.

II.

**L**ogicæ materia propria, & per se non sunt res, non sunt voces, non.

A

non qui ab Schola vocari solent *Conceptus objectivi*, aut primò, aut secundò *intentionaliter accepti*, sed tantum sunt *notiones*, & *actiones* utentis. *Objectum* verò, quod aiunt, *Formale* est artificium ab ipsa Logica præscriptione regularum directum. Logica una non est, neque simplici, neque physica coniunctione: ordinis verò, aut moralis existimationis esse una potest, quomodo est collectio. Logica utilis quidem est aliis scientiis comparandis: non tamen necessaria.

## III.

**I**ntra attributa metaphysica non intercedit vera quædam, & propria distinctio: neque *realis formalis ex natura rei*, neque Thomasianorum *objectiva præcisio*, nec in ideis attributorum *sectio*, & *separatio*, sed una tantum distinctio rationis.

## IV.

**U**niversale est, aut metaphysicum: *Unum*, scilicet, *aptum esse in multis*;

tis; aut logicum: *Unum aptum prædicari de multis.* Materia Universi nobis dicitur, ex multis nobis antea distinctè cognitis unum subrogatum pro omnibus. *Actualis Prædicatio* tantum abest ut efficiat, ut ipsa potius destruat Universum. Ex Universis omnibus abstrahi potest ratio Universi synonima, quæque sit Genus reliquis superius. Ab individuis ratio quædam similis nihil obest, quin abstrahatur. Neque sartum rectum genus in unica specie, neque speciem in unico individuo potuimus invenire.

## V.

**S**yllogismus, seu ratiocinatio est Actio mentis, qua plures notiones, quarum altera ab altera deducuntur, nosmet conteximus. *Propositio*, & *Assumptio*, & generatim quæ *Præmissæ* dicuntur, una cum conclusione existunt. Necesse semper non est, ut demonstratio sit Syllogismus; cur enim esse non potest plurimum Syllogismorum

contextus, atque eorum colligatio?

## *EX PHYSICIS.*

### I.

**P**hysica vulgo satis describitur: *Facultas agens de corpore naturali.* Corpus naturale est: *Substantia sensiliter impenetrabilis.* Corpora num sint, nisi excerebratus, haud scio, an possit seriò quisquam dubitare? Principia corporis naturalis in generatione sunt materia, forma, & privatio: in constitutione materia, & forma. Materia prima substantia est dimidiata, seu non completa, & à Dèo creata in exordio mundi. Materia prima existit per propriam existentiam. Materia prima suapte natura appetitionem nullam habet formarum, nisi ipsa sua sponte sit animata.

### II.

**F**orma corporum est semisubstantia materiam complens, & perficiens, ab eaque revera distincta. Rationem

a B

red-

reddemus, siquidem quis eam à nobis quærat, cur formas peripateticas retinemus, easque reliquis præferimus. Forma non est tota natura, vel essentia corporis physici. Duplex forma princeps conjungi naturaliter nequit cum eadem materia: Forma autem princeps potest naturali vinculo cum alia non principe subire materiam: quemadmodum præter formam dominam inest in singulis corporibus famula *Somatosis*.

## III.

**N**aturaliter sine forma neque existit, neque existere potest materia prima: Deo autem volente, non ranta est earum inter se colligatio, ut disrupta, utraque nequeat ab alia separata existere. Coniunctio materiæ, & formæ, sive vinculum illud, quo plura coeunt in unum, nolumus, sit res quædam vera, & absoluta, sed modus quidam rerum, distinctus tamen ab iis, quæ conjungit. Naturam, ut solet, finimus: *Principium motus, & quietis.*

Ars,

Ars , si etiam possit perficere opera naturæ , non tamen efficere . Dicendum ne sit , Deum rebus creatis violentiam posse inferre , an non ? Utrumvis dici posse sine incommodo existimamus .

## IV.

**C**ausam dicimus : *Principium per se efficienter attingens aliud*. An causa existere debeat in momento , in quo agit , is , credo , vertet in dubium , qui nondum noverit , se dormientem omnino feriari . Necessariam judicamus appropinquationem causæ , ut ista aliquid efficiat . Prægressio causæ nobis dicitur ipsum signum prius causæ : signum posterius effecti consequutio . Causa actu efficiens non constituitur per actionem tanquam per virtutem , sed tanquam per functionem , exercitationemque virtutis , per quam re ipsa effecto existentia communicatur .

## V.

**P**raeter virtutem , quam rerum omnium prima causa habet , causas , quas

quas vocamus secundas pollere etiam dicimus sua unamquamque virtute aliquorum effectrice. Substantia proxime tum substantiam, tum accidentia immanentia producit. Proxime quoque, ut efficiat, ipsi liberaliter permittimus accidentia nonnulla in externo recipiente subjecto. Neque ita nobis ipsa vilesunt accidentia, ut non proxime, tanquam adjuvantia causarum substantiam modo quidem minus præcipuo efficiant.

## VI.

**C**Ausa materiata est illa : ex qua, cùm insit, aliquid fit. *Formalis*: ratio essentiae rei. *Finalis* : ratio illa cuius gratiæ aliquid fit. Animantia opinamur, agere omnia propter finem. Monstrum dicimus, quod insolenti specie, sive forma à rebus sibi natura similibus degenerat. Explicabimus, cur ista contingent, præsertim in homine monstroso. Fortunam, qui eam fecerint Deam, causam quandam rerum humanarum novam ipsi explicabunt.

Fa-

Fatum omnino nullum, neque si *Christum* dixeris, idcirco nobis placebit. Res quavis non habet virtutem ad quodlibet, illam, inquam, mirificissimam *Qodlibeticam*.

## VII.

**Q**uantitas, una ex præcipuis corporis affectionibus, rectè potest vocari *Naturalis impenetrabilitas*: quoniam, Deo jubente fieri potest corporum compenetratio quantitate in columni. Quantitas non tribuit substantię extensionem, quam, qui contra sentiunt, *Entitativam* nominant. Notio primaria quantitatis sic nobis dicitur: *Eius ratione sui aptum extendi in se, & in loco*. Quod ut corpus suapte natura, & per se habeat, noluimus. Quantitatem hac de causa jussimus distingui à materia: Corpus continuum non constat partibus in infinitum dividuis.

## VIII.

**L**ocus corporum est spatium ab ipsis corporibus occupatum. Præsens

pia

tia de genere modorum est; qui quidem modus, Deo volente, duplex inesse potest in eodem corpore. Vacuum, etiam volente Deo, reclament licet Philosophi, esse potest; naturaliter, probabilius judicamus nullum esse, neque esse posse. Motus causam dicimus impetum: cuius naturam non æquè compertam habemus, atque impetum esse. Motui continuato, & tarditati motus, & motui reflexo, & refracto eandem causam attribuimus. Corpora gravia in terram feruntur propter gravitatem, cui inter qualitates absolutas locum damus: tantundem non dicimus de levitate. Ita corpora levia non per eam ascendunt, sed à pondere compulsa corporum graviorum. Impetus auctus à gravitate causa est accelerationis motus in descensu gravium. Tempus nihil est verum, solidumque distinctum à corporibus. Duratio nullus est modus à re, & tempore distinctus.

*EX METAPHYSICIS.*

**M**etaphysica est : Scientia theorica de ente in universum , vel re , vel cogitatione à materia segregato. Ens illud dicimus , quod nullam in semetipso contradictionem involvit. Ab omnibus entibus veris abstrahi potest ratio communis entis , quæ per rationem una , & synonima maneat. *Perseitas* , excellētissimis ingenii exagitata , ut abstractissima vulgo sumitur obtinere à nobis non valuit , ut eam per rationem ens esse diccremus. *Unitas* entis nihil verum rei addit. *Veritas* est habitudo intranea rei , ut cognoscatur prout in se est. Sicut *Bonitas* , ut appetatur , & ametur.

## II.

**P**ossibile intrinsecus appellamus , quod intrinsecus convenientiam habet attributorum non repugnantium ex natura sua existere. Possibilitas rerum

rum nihil verum , nihil solidum , nihil physicum est. Divinam Omnipotentiam melius à nobis sentimus intelligi non connexam metaphysicè cum possibili- bus , quām connexam. Quæ *Futuritio* appellatur *Formalis* , passiva , intranea consistit in non existentia rei nunc , & ejusdem existentia postea. Existentia , & essentia rerum revera non differunt in- ter se. *Præteritio* sita est in existentia rei antea , & ejusdem non existentia nunc.

## III.

**E**Ntium decem cathegorias tot sa- pientum judicio , & vetustatis au- thoritate confirmatas retinemus. Sub- stantia est , id quod non est in alio , tan- quam in subjecto : vel potius , subjectum quoddam nobis ignotum , in quo sunt pro- prietas , & affectiones nobis notaæ. Sub- stantiæ complementum , sive Subsistentia in rebus quidem creatis sita est in mo- do quodam revera addito naturæ , ra- tione cuius per se , atque etiam in se

existit natura. *Qualitas* est ratio , per quam intelligitur qualis res sit. *Relatio* nihil præter subjectum habet , terminum , & rationem fundandi. Explicabimus *Actionem* , *Passionem* , *Ubi* , &c.

## IV.

**Q**uantum Philosophi interest , quoniam Deum à *Prædicamento* substantiæ non exclusimus , scire de ipso nonnulla curavimus. Itaque expponemus , Deum esse unum , esse simplicis naturæ , immutabilem , immensum , æternum , omnipotentem : qui operatur omnia , atque cum causis creatis una agit , eademque actione , quæ istæ agunt. Cujus providentiæ nihil est tam sumnum , quod non subsit ; nihil tam minutum , quod non pateat. Cujus in manu est dominatio perfecta , & absoluta in rebus omnibus. Non tamen hincircum causas liberas gubernat , & movet ea , quam Thomistæ volunt , Præmotione. Angeli sunt substantiæ spirituales. Facetos , & perridiculos Iem-

res non indictos prætermissimus , ut qui velit , à nobis , quid de illis sentiamus , facile posse audire .

**DE MUNDO, ET DE COELO.****I.**

**M**undus est compages ex Cælo , terraque coagmentata , & ex iis naturis , quæ inter illa continentur . Præcisè tenendum , non plures , sed unicum tantum esse mundum , judicamus ; Deo autem virtutem non deesse plures mundos condendi . Vetus in primis Philosophorum , gentiumque omnium firmata consensu opinio est , æternum mundum non extitisse , sed aliquando cœpisse . Probabile admodum statuimus , mundum sphæræ in modum esse tornatum . Mundi effectio creatio fuit . Non enim ex priori aliqua ante mundum condita , vel æterna materia factus est mundus .

**a D****II.**

## II.

**E**T si non male ab obscurissima ultima antiquitatis, & temporum remotissimorum ratione se expeditissimi credimus, qui dixit, mundum fuisse conditum in omnibus quatuor mundi temporibus: probabilius tamen opinamur, mundum cœpisse Aequinoctio Verno. Nullum de mundo sistema nostrum cogit assensionem, ut tanquam certum illud teneamus. Si summa totius rei hæc sit, utrum terra, an Sol, Astraque moveantur? Non dubitanter affirmamus, terram quiescere, Solem autem, Astraque moveri. In perreconditas Astronomorum quæstiones, tanquam in messem alienam, non irruimus.

## III.

**N**ON facimus Cœlum corpus simplicem, sed ex materia, suaque forma compactum. Quæ tamen forma non est anima. Cœli omnes (qui probabiliter tres esse dicuntur) sicut generationi, sic corruptioni naturâ subsunt;

præ-

præter Empyreum. In quo investigando,  
illud occurrit , quod centies usurpare  
in disputationibus philosophicis cegi-  
mur : quo cum Philosophi venimus ,  
meminimus illud : *Quæ supra nos nihil  
ad nos.* Cœlum habet quidem naturam  
incomprehensibilem , nec ejus notitia  
certa dimanat ad nos. Nihilo tamen mi-  
nus audemus , utpote Philosophi , Cœ-  
lum tum Planetarum , tum fixarum fa-  
cere non solidum , sed oppidò fluidum.

IV.

**A**stra omnia in Lyceo quam pos-  
sunt aliam ostentare naturam , ni-  
si materiam quandam communem , &  
formam unumquodque propriam , &  
singularem ? Figuram Astrorum , quan-  
doque valeat oculorum fides , esse ro-  
tundam testabimur. Planetas non plu-  
res septem numeramus. Stellarum verò ,  
quicumque ita eas omnes numerando  
percucurrit , ut non aliquam unam vel  
minimam prætermisserit , nobis cum il-  
le renuntiarit , tum numerum statue-  
mus.

mus. Lunæ corpus rotundum dicimus, non tamen planum, & læve, sed probabiliter terræ non absimile.

## V.

**S**OL Planetarum Princeps corpus est majori ex parte fluidum, non omnino sphæricum, nativa luce fulgens, Sol dictus, vel quia solus ex omnibus Syderibus est tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus, solus apparet. In splendidissimo Solis globulo maculas nonnullas inesse novimus, quid illæ sint, non novimus. Quæ vero vocantur Faculæ Solares, fortasse divinando dicemus, quid sint? Planetæ lucent à Sole, Astra fixa à se ipsis, ut probabiliter sentimus. Quid sit in causa cur Astra scintillent, non, nisi curiosus quisvis interroget, dicemus.

## VI.

**Q**UAMQUAM negari vix possit Astra influxu quodam physico, quæ infra Lunam sunt, corpora quædam attingere: influere autem quidquam

quam in voluntatem humanam omnino negandum est. Ut locum demus interrogatiunculis, quareat qui velit, unde cæruleus ille Cœli color oriatur? Quidque sit candens ille Cœli tractus, quem *Viam lacteam* vocant? Non eò Astra moventur, quod anima quadam rationis compote informentur. Non Deum solum causam facimus Astrorum motus, non vortices quosdam, non attractus, sed Intelligentias eis extrinsecus adstantes.

*DE ELEMENTIS, ET  
Meteoris.*

I.

**E**lementum vulgare ita vulgo finitur: *Corpus naturale simplex ex quo, inexistente mixtum componitur.* Probabilius nobis quidem dici videtur esse quatuor pervulgata illa: *Terram, Aquam, Aerem, & Ignem.* Itaque Chymici, & qui Atomistæ, atque Corpuscula-

cūlānes autē esic, aut viceri gloriāntur, nondum nobis sua probari elementa satis intelligent. Elementorum formas in exordio mundi primum eductas fuisse opinamur: deinde secundūm suam naturam non remanere generatim in mixtis, tum quodlibet elementum in universum mutari non posse in aliud.

## II.

**Q**uartuor elementorum qualitates primæ fermè omnibus dicuntur: *Calor*, *Frigus*, *Humiditas*, & *Siccitas*. Quoniam neque in atomis *calorificis*, neque in effluvio corpusculorum, neque in motu *vorticoso*, seu *velocissimo* primi cuiusdam elementi justam causam caloris invenimus, calorem fecimus *accidens* quoddam absolutum: nihil magis de *humiditate*, sive qualitate illa, qua corpus proprio termino difficile clauditur, facile alieno: consimilia omnia de siccitate, quæ proprio facile, alieno termino difficile clauditur.

## III.

III.

**N**um *Ignis*, qui calidus esse fertur,  
& siccus, sphæram sursum ha-  
beat, quo nativo impulsu accedit, is,  
credo, modo requiret, qui ascensum  
fumi, atque vaporum, sphæræ cuidam  
fumosæ, aut vaporario attribuerit. In  
terræ visceribus receptacula multa ignis  
esse dubitare sani non possumus. Expli-  
cabimus, cur ignis non solum ab aqua,  
sed etiam à se ipso, itemque minor à  
majore extinguitur? Cur prohibito ae-  
ris ingressu? Cur etiam immodico fla-  
tu? Moderato autem augeatur? Cur ig-  
nis diutius in umbra, quam in Sole  
conservetur? Cur, qui valde frigent, si  
ad ignem copiosum accedant, dolorem  
fentiant? Cur ignis ad disrumpenda du-  
ra corpora valeat? Cur metalla lique-  
facta ardenter urant, quam flamma  
ignis?

IV.

**Q**ui terræ globum ambit ad Cœ-  
lum usque Lunæ liquida, & per-  
mea-

20 *De Elementis, & Meteoris.*

meabili natura, Aer vocatur, diciturque esse *calidus*, & *humidus*. Quæret ex nobis, qui cura ista tangatur, an Aer claterium habeat, & unde probeatur? An sit perfectè pellucidus? An etiam, nisi quæsitum rideat, aer videri possit? Non gravabimur dicere, cur aer, aqua quidem subtilior, quædam non permeat corpora, quæ trajicit aqua? Cur quædam aeri exposita magis refregerentur ad Solem, quam in umbra? Cur aer efflatus ore dilatato sit calidus, compresso autem ore sit frigidus?

## V.

**A**qua *frigida* esse creditur, & *humida*. Quænam sit ejus natura, primo dicemus: tum aquarum varietatem, mirabilesque earum proprietates. Deinde de aqua marina, unde falsum illum saporem, & amarum contrahit. Cur præ reliquis natationi sit aptior? Motus maris præcipuos exponemus; sententias item celebriores Antiquorum, & RR. Philosophorum de Aestu reci-

maris. Nostra (ne nihil dicamus) probabiliter causam aliquam ad Lunam refert. Terra tandem, quæ sicca dicitur, & frigida unde fœcunditatem nanciscatur, ut magna mater jure nominetur, dicemus.

## VI.

**M**eteoræ ignitæ, Cometa scilicet, Fulmen, Fulgur, Ignis lambens, Ignis fatuus, Castor, & Pollux, Stellæ discurrentes, & cadentes, Draco volans, Capræ saltantes, Trabes, sive Lanceæ: Meteoræ Spirantia, Venti, Emphatica, Parhelium, Corona, Virgæ, Paraselenæ, Iris: Meteoræ aquæ, & terrea, Nubes, Nebula, Pluvia, Grando, Glacies, Nix, Ros: Thermæ, Aquæ minerales, Fluviorum, & Fontium origines, Fossilia quoque, Sales, Sulpura, Lapidæ, Metalla, quid hæc sint, unde ortum ducant, alia uniuscujusque propria, brevi quadam explicatione dicemus: non enim volumus, qui ista legunt, existiment, nos nosse omnia,

quæ-

quæcumque alii sentiant, sed habere quidquam, quod dicere possimus. Magnetis virtutes dicemus. Unde illæ sint? Non nos pudet dicere, nescire, quæ nescimus.

*DE ANIMA.*

## I.

**A**nima rationis particeps, et si milie veniendi in corpora vias insinuabile philosophandi cachoetes ei designavit, solum habet Deum Auctorem, à quo tunc creatur, cum corpus aptè conformatum est ei recipiendæ, vitæque muneribus obeundis. Itaque humanos animos non facimus corpore antiquiores: non unà omnes cum Angelis creatos, non cum Animo primi parentis simul conditos, & deinde in corpora propter scelera antea commissa tanquam in carcerem immisso: non per traducem propagatos: non de corpore in corpus errabundos.

## II.

## II.

**H**Umanus Animus est substantia simplex, omni concretione materiae libera: est spiritualis, & immortalis, quod naturali etiam ratione demonstrari potest. Animum nostrum utpote spiritum regendo corpori accommodatum in omnibus humanis membris probabilius inesse judicamus. In iis, scilicet, in quibus actio, vitalisque functio reperitur. Nihilo tamen minus sanguinem opinamur non animari. Nullo pacto Animas in homine geminamus: sed unam officiis omnibus vitae praestò esse sentimus.

## III.

**C**ommencium Animi cum corpore non apud nos harmonia quædam præstabilita efficit, non occasio, casus, vel fortuna in actionibus sibi invicem respondentibus, non Anima quædam novo genere media, non aurigæ ex edito capitis loco nervis tanquam lotis in reliquo corpore gubernatio, sed ve-

ra

ra copulatio , verusque nexus possessio-  
nis , & proprietatis , & dominationis.  
Facultates Animæ incorporeas , & in-  
ternas neque inter se , neque ab Ani-  
ma revera distingui statuimus : intelle-  
ctum , scilicet , memoriam , & volun-  
tatem .

## IV.

**I**Ntellectus ea vis Animæ nominatur,  
qua rerum ideas percipimus , & in  
omnem partem cogitando versamus.  
Nullius rei nobis idea est ingenerata.  
Nulla insensibilis , & incorporeæ , sive  
rei , sive attributi idea probabiliter in-  
esseret in Anima , si nulla res sensibilis ab  
ipsa cognosceretur. Omnis nostra cog-  
nitio pendet à sensibus , vel proxime ,  
vel remote. Non ita tamen pendet à  
sensibus , ut non nisi quæ sensilia sunt ,  
& quidem non nisi ut sensilia à nobis  
cognoscantur. Mens non attingit rem  
distinctam ab omni possibili.

*secundum omnino V. on enimo sign*

**M**emoriam vocamus Facultatem percipiendi ea, quæ fuerunt alias ad nobis percepta. Reminiscentia est actio ipsa, quæ rem olim percep-tam, sive nisu aliquo, sive facile ite-rum percipimus. Explicabimus, cum exercitatione memoria augetur, pluri-mumque perficitur. Cur juvenes plus valeant plerumque memoria, quam aut pueri, aut senes? Cur memoriae, qui facile res mandant, soleant eartum-dem facile obliuisci? *duo? dicitur? utrumque* **V.**

**V**oluntas est illa Animæ facultas, qua aliquid vel appetimus, vel aversamur. Materialis illius est bonum, vel malum. Voluntas ita fertur amore in bonum, ut bonum aversari, quatenus bonum, nequaquam possit. Ita rursus malum fugit, ut quatenus ma-lum est, minime queat illud amare. Puram omissionem liberam nullam es-se, id ipsum inditio damus, nos eam libe-

liberè omnino non potuisse omittere. Habitus nobis illi dicuntur, quibus probè, vel male affecti sumus in perturbationibus Animi. Habitus, qui *naturales* appellantur, ut ab habitu insuso, & superno distinguantur, nulli sunt nobis ingenerati. Habitus, quò plures fuerint, eò debiliores sentimus evadere.

## VII.

**F**acultates internas Animæ, sed corporeas dicimus, phantasiam, sensum communem, memoratricem, æstimatoricem, quoniam Anima constant, organisque corporeis unicuique facultati aptis, partim facimus distinctas ab Anima. Phantasiae, sive imaginatricis facultatis quanta sit vis, aliqua exempla, si vera narrant Auctores, declarant. Sensum communem, & æstimatoricem in cerebro collocamus. Memoratricem in nervis, ductibusque, in quibus sit rerum perceptarum impressio. Sensatio est perceptio rei per sensus: distinguitur ab intellectione.

## II.

*VIII.*  
**S**Æpe quidquam videmus, aut audi-  
mus, neque videre ea nos, neque  
audire intelligimus. Propagationem ex-  
ternæ sensationis ad cerebrum usque  
explicabimus. *Appetitum*, qui dicitur  
*sensitivus*, probabiliter in cerebro po-  
nimus, ubi necessariò præcessit rei con-  
cupitæ imaginatio. *Somni*, & insom-  
niorum causam dicemus; de vigilia  
quoque, quid illa requirat, ut sit.  
Quinque sensus externos exponemus.  
Videlicet qua ratione tactus efficitur.  
Gustatus organum, in quo collocatur.  
Unde sit ciborum jucunditas, quām des-  
ideriis condiri non malè quisquam dixit.

*IX.*

**D**E Odoratu, qua via halitus in se  
recipiat odoriferos, explicabimus.  
Illa etiam, cur odores aliqui vomitum  
excitent? Cur ex *tabaci* pulvere, vel  
festucis, aut alio subtili corpore, irri-  
tata narium membrana, sternutatio  
contingat, totumque penè corpus va-  
lidè

lide concutiat? Cur in deliquio, attracti naribus odores uno s<sup>e</sup>pe momento vitam reddunt? Horum, quos diximus, sensuum materiam neque qualitates quasdam solitarias, neque corpuscula suapte natura odorifera, & sapida; sed illas esse dicimus horum vehiculo intimos sensuum recessus trahientes, & permeantes.

## X.

**D**E Auditu, quodnam ibi sono patet flexuosum iter, primo dicimus: tum in quo sonus consistat: deinde qua ratione surdus, aut certe quies auribus, quantum fieri potest, occlusis, & obstipatis Cytharæ v. g. sonum audit, si dum ista percutitur, alteram ejus extremitatem dentibus ille mordendo constringat. De Visu, præter mirabilem illius fabricam, visionem, in quo incipiat, & ubi perficiatur, dicemus. Sed ne istud requiras, in cristalino oculi humore arbitramur visionem inchoari, perfici autem vel  
ibil in

in retina, vel in opticorum nervorum  
cohæsu. modus et suppositio de quin  
estib[us] est innotescit XI. philologis hinc

**D**E Luce nonnullas aliorum sententias novimus. Nostra ita habet. Lucem ponimus in corpusculis affectis quidem, sive *modificatione* quadam, sive *evento* addito, sive *qualitate*, qua sint lucida. De coloribus caci quidem non ferunt sententiam: at Philosophi acutius vident, quam aut Aquila, aut Serpens Epidaurius. Veros quosdam corporibus inesse colores opinamur: qui tamen diminutione, & incremento, majori, vel minori lucis copia, diversos induunt aspectus. *Albi*, & *nigri* proprietates præcipuas, & jucundissimas scitu exponemus. Dicemus, cur alba corpora visum fatigant, lèduntque, nigra nequaquam? Cur radiorum copia tanta incidit in oculum, cum alba cernimus, nec tanta, sed minima, cum nigra intuemur? Cur alba solaribus radiis exposita, ægre, fa-

cile

cilē nigra , si humida sint , exsiccan-  
tur , & utcumque se habeant , hoc  
etiam discrimine incalescunt ? nimirum  
facilē nigra , ægrē autem alba. Cur  
corpora ustione nigrescunt ?

## XII.

**B**RUTORUM ANIMÆ non sunt incor-  
poreæ : brutorum Animæ sunt di-  
viduæ. Uno crediderim verbo dixisse.  
Bruta non sunt mera authomata. Om-  
ne animal fit ex ovo. De Chylosi , de  
Hæmatosi , de Circuitione sanguinis ,  
de Animalium nutritione , & augmen-  
to , si locus enarrandi detur , libenter  
nos sermo iste detinebit. De Fame et-  
iam , & siti. Cur dum comedimus non  
illoco sedatur fames ? Cur juscum ca-  
lidius , pingue præsertim , statim satiet ?  
Cur nos interdum cibi fastidium etiam  
impastos tenet ? Cur homines aliquan-  
do tanquam canina fames urget ? Cur  
multa alia digna intellectu. Planta , vel  
ex semine omnis nascitur , vel stolone ,  
ex putri nulla. Radices , truncum , ra-  
mos ,

mos , folia , flores , fructus , plantarum nutritionem , & accretionem aliquantula explicatione descripta proponemus , modumque , quo plantarum nutritio , & accretio contingat .

Imprimatur.

*Doct. D. Josephus Jordana ,  
Vic. Gen. Ⓛ Offic.*

*Vt. P. Franciscus Hernandez ,  
Rect. Ⓛ Stud. Praef.*

D. S. Smith

mos, folis, foliis, fringue, pinnaria  
trinitatis, & pectinatum silvaticum  
varia exsiccatione de quibus tripliciter  
monumenta, & duo bestiarum minima  
ex accidio eorumque, uno invenimus.

